

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XLVIII: In M. Antonium ad Quirites, Philippica VI.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

carissima sit, & fuerit, uacationem militiae ipsis, liberisque P. 205.
 eorum esse placere, extra tumultum Gallicum, Italicumque:
 easque legiones, bello confecto, missas fieri placere: quan-
 tamque pecuniam militibus earum legionum in singulos
 C. Caesar pontifex propraetor pollicitus sit tantam dari place-
 re, utique C. Pansa, A. Hircius consules, alter, amboue ra-
 tionem agri habeant, qui sine iniuria prinatorum diuidi
 possit: isque militibus legionis Martiae, & legionis quarta
 ita daretur, assignaretur, ut quibus militibus amplissime
 dati, assignati essent. Dixi ad ea omnia, consules, de quibus
 retulistis: quae si erunt sine mora, matureque decreta, facilius
 apparbitis ea, quae tempus, & necessitas flagitat, celeri-
 tate autem opus est: quae si essemus usi, bellum, ut saepe di-
 xi, nullum haberemus.



IN M. ANTONIVM P. B.

AD QUIRITES,

PHILIPPICA VI.

ORATIO XLVIII.



AVDITA uobis esse arbitror, Quirites, quae
 sint acta in senatu, quae fuerit cuiusque sen-
 tentia res enim ex Kal. Ian. agitata, paullo
 ante confecta est: minus quidem illa seuerere,
 quam de uis: non tamen omnino dissolute mora est allata
 bello, non causa sublata. Quamobrem, quod quae sunt a me

CCC 5 P.

P. Apulius, homo & multis officijs mihi, & summa familiaritate coniunctus, & uobis amicissimus, ita respondebo, ut ea, quibus non interfuissetis, nosse possitis. Causa fortissimis, optimisque consulibus Kalend. Ian. de republ. primum referendi fuit ex eo, quod XIII. Kal. Ian. senatus, me auctore, decreuit. Eo die primum, Quirites, fundamenta iacta sunt reipubl. Fuit enim longo interuallo ita liber senatus, ut uos aliquādo liberi essetis. Quo quidem tempore etiam si ille dies uita finem mihi allaturus esset, satis magnum ceperam fructum, cum uos uniuersi uia mente, atque uoce iterum a me conseruatam esse remp. cōclamastis. Hoc uestro iudicio tanto, tamque præclaro excitatus, ita Kal. Ian. ueni in senatum, ut meminissim, quam personam impostam a uobis sustinerem. Ita que bellum nefarium illatum reip. cum uiderem, nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putavi: hominemque audacissimum, qui, multis nefarijs rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi Romani oppugnaret, coloniam uestram P. 206. fidissimam, fortissimamque; obsideret, bello cēsui persequendum: tumultum esse decerni, iustitium edici, saga sumi, dixi placere: quo omnes acrius, grauiusque incumberent ad ulciscendas reip. iniurias, si omnia grauissimi belli insignia suscepta a senatu uiderent. Itaque hac sententia, Quirites, sic per triduum ualuit, ut, quāquam discessio facta non esset, tamen præter paucos, omnes mihi assensuri uiderentur. Hodierno autem die, nescio qua ei obiecta re, remissior senatus fuit: nam plures eam sententiā secuti, ut quantum senatus auctoritas, uesterque consensus apud Antonium ualiturus esset, per legatos experiremur. Intellego, Quirites, a uobis hanc sententiā repudiari, neque iniuria. ad quē enim legatos? ad eumne, qui pecunia publica dissipata, atque effu

effusa, per uim, & contra auspicia impositis populo Ro. le-
 gibus, fugata concione, obfesso senatu, ad opprimendā rēp.
 Brundisio legiones accerserit: ab his relictus, cum latronū
 manu in Galliam irruerit? Brutum oppugnet? Mutinam
 circumsecat? quæ uobis potest cum hoc gladiatore condi-
 tionis, æquitatis, legationis esse communitas? Quæquam,
 Quirites, non est illa legatio, sed denuntiatio belli, nisi parue-
 rit. Ita enim est decretum, ut, si legati ad Annibalem mit-
 terentur, mittuntur enim, qui nuntient, ne oppugnet consu-
 lem designatum: ne Mutinam obsideat: ne provinciā depo-
 puletur: ne deletus habeat: sit in senatus, populi que Romæ
 potestate. Facile uero huic denuntiationi parebit, ut in pa-
 trum conscriptorum, atque in uestra potestate sit, qui in sua
 nūquam fuerit? Quid enim ille umquam arbitrio suo fecit,
 semper eo tractus, quo libido rapuit, quo leuitas, quo furor,
 quo uiolentia? semper eū duo dissimillima genera lenonū,
 & latronum tenuerunt. ita domesticis stupris, forensibus
 paricidiis deletatur, ut mulieri citius auarissima parue-
 rit, quam senatui, populoq; Ro. Itaq; quod paullo ante feci
 in senatu, faciam apud uos: testificor, denuntio, ante prædi-
 co, nihil M. Antoniū eorū, quæ sunt legatis mādata, factu-
 rū, uastaturū agros, Mutinam obfessurū, deletus, qua pos-
 sit, habiturū. is est enim ille, qui semper senatus iudiciū, &
 auctoritatē, semper uoluntatē uestrā, potestatēq; contem-
 pserit. An ille id faciat, quod paullo ante decretū est: ut ex-
 ercitus citra flumen Rubiconem, qui finis est Gallia, edu-
 ceret, dum ne propius urbem Romam c. c. mil. admove-
 ret? huic denuntiationi ille pareat? ille se fluiō Rubicone
 c. c. mil. circumscriptum esse patiat? non is est Anto-
 ninus. nam, si esset, non commisisset, ut ei senatus, tamquam
 Annibali initio belli Punici denuntiaret, ne oppugnaret

Saguntum. Quod uero ita auocatur à Mutina, ut ab urbe tamquam pestifera flamma arceatur, quam habet ignominia? quod iudicium senatus? quid? quod à senatu datur mandata legatis, ut D. Brutum, militesque eius adeant, usque demonstrent summa in remp. merita, beneficiaq; eorum graua esse senatui, populoq; Ro. eisq; eam rem magna laudi, magnoq; honori fore? passurumne censetis Antonium introire Mutinam legatos? exire inde tuto? numquam patietur, mihi credite, noui uolentiam, noui impudentiam, noui audaciam. Nec uero de illo, sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua cogitare. Quæ cum ita sint, non omnino dissolutum est, quod decreuit senatus. habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ. nam, cum plerisque in rebus gerendis tarditas & procrastinatio odiosa est: tunc hoc bellum indiget celeritatis. succurrendum est D. Bruto: omnes undique copia colligenda: horra eximere * nullam in tali ciue liberando sine scelere possumus. An ille non potuit, si Antonium consulem, si Galliam Antonij prouinciam iudicasset, legiones Antonio, & prouinciam tradere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine, quoad magistratum iniret, sententiam dicere? quid negotij fuit? sed, se cum Brutum esse meminisset, uelut streque libertati natum, non otio suo: quid egit aliud, nisi ut pene corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrum legatos, an legiones ire oportebat? Sed præterita omittamus. properent: quod uideo esse facturos. nos saga parate. est enim ita decretum, ut, si ille auctoritati senatus non paruisset, ad saga iretur. ibitur: non parebit: nos amissos tot dies rei gerendæ queremur. Non metuo, Quirites, ne cum audierit Antonius, me hoc in senatu, & in concione confirmasse, numquam illum futurum in senatus po-

testate, refellēdi mei caussa ut ego nihil uidisse uidear, uer-
 tat se, sena. ui pareat. numquam faciet: non inuidebit huic
 m. & gloria. malet me sapientem à uobis, quam se mode-
 stum existimari. quid? ipse se uelit, num etiam L. fratrem
 passurum arbitramur? nuper quidem dicitur ad Tybur, ut
 opinor, cum ei labare M. Antonius uideretur, mortem fra-
 tri esse minitatus. Etiamne ab hoc myrmillone Asiatico
 senatus mandata, legatorum uerba audientur? nec enim
 secerni à fraire poterit, tanta praesertim auctoritate. nam
 hic inter illos Africanus est: plaris habetur, quam L. Tre-
 bellius, plaris quam T. Plancius, quam Exitius adolescens
 nobilis. Plancius, qui omnibus sententiis maximo uestro plau-
 su condemnatus, nescio quomodo se cōiecit in turbam, atq;
 ita maestus rediit, ut retractus, non reuersus uideretur, sic
 contemnit, tanquam si illi aqua, & igni interdictum sit.
 aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incen-
 derit curiam. Nam Trebellium ualde iam diligit: oderat
 tum, cum ille tabulis nouis aduersabatur: iam fert in ocu-
 lis, postquā* ipsum Trebellium uidit sine tabulis nouis sal-
 uum esse non posse. audisse enim nos arbitror, Quirites.
 quod etiam uidere potuistis, quotidie sponsores, & credito-
 res L. Trebellij conuenire. O fides! (hoc enim puto Trebel-
 lium sumpsisse cognomē) qua potest esse maior fides, quam
 fraudare creditores? domo profugere? propter aes alienum
 ire ad arma? ubi plausus ille in triumpho est? saepe ludis? ubi
 edilitas delata summo studio honorum? quis est, qui hunc
 non casu existimet recte fecisset nequitia est, * scelere. * Sed
 redeo ad amores, deliciasq; nostras: L. Antonium, qui uos
 omnes in fidem suam recepit, negatis? num quispiam est ue-
 strū, qui tribum non habeat? certe nemo. atqui illū quinq;
 & triginta tribum patronū adoptarūt, rursus reclamatis?
 Aspicite

Aspicite à sinistra illam equestrem statuam inauratā: in qua quid inscriptum est? QVINQVE ET TRIGINTA TRIBVS PATRONO POPVLI ROM. Igitur est patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem: clamori enim uestro assentior. non modo hic latro, quem clientem habere nemo uelit: sed quis umquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Rom. uictoris, dominiq; omnium gentium tutorem dicere auderet? in foro L. Antonij statuam uidemus: sicut illam Q. Tremellij, qui Hernicos deuicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilem: tantumne sibi sumpsit, quia Mylasis myrmillo Thracem iugulauit familiarem suum? quonam modo istum ferre possemus, si in hoc foro, spectantibus uobis, depugnasset? sed hæc una statua at aliera ab equitibus Rom. in equo publico: qui item adscribunt, PATRONO, quem umquam

P. 208. iste ordo patronum adoptauit? si quæquam, debuit me. sed me omitto: quem censorem? quem imperatorem? agrum his diuisit. O sordidos, qui acceperunt: improbum, qui dederit! Statuerunt etiam tribuni militares, qui in exercitiis Cesaris duobus fuerunt. Quis est iste ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos: his quoque diuisit Remurium. Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset. Sed hæc agrorum assignatio paullo ante, Quirites, L. Cesaris clarissimi uiri, et præstantissimi senatoris sententia dissoluta est. huic enim assensu, septemuirum acta sustulimus. Iacent beneficia Nucula: friget patronus Antonius. nam possessores animo æquiore discedent: nullam impensam fecerant: nondum instruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant. Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere: L. ANTONIO IANI MEDII PATRO

TRONO. Itane Ianus medius in L. Antonij clientela sit? quis umquam in illo Iano inuētus est, qui L. Antonio mille nummū ferret expēsū? Sed nimis multa de nugis: ad causam, bellūque rediamus: quāquam non alienum fuit personas quasdam a uobis recognoscere: ut quibuscum bellum gereretur, possitis taciti cogitare. Ego autem uos hortor, Quirites, ut etiā si melius aliud fuit, tamen legatorum reditū exspectetis animo aequo. celeritas detracta de causa est: boni tamē aliquid accessit ad causam. cum enim legati renuntiarint, quod certe renuntiabunt, non in uestra potestate, non in senatus esse Antonium: quis enī tam improbus ciuis, qui illum ciuem habendum putet? nunc erim sunt, pauci illi quidem, sed tamen plures, quam reipublica dignum est, qui ita loquamur. Ne legatos quicquid exspectabimus? istam certe uocem, simulationemque clemētia, P. B. extorquebit istis res ipsa publica. Quo etiam, ut confitear uobis, Quirites, minus hodierno die contendi, minus laboraui, ut mihi senatus assentiens tumultum decerneret. se ga sumi iuberet. malui uiginti diebus pest sententiam meam laudari ab omnibus, quam paucis hodie uituperari. Quapropter, Quirites, exspectate legatorum reditum, et paucorum dierum meliēstiam deuotate, qui cum redierint, si pacem afferent, cupidum me, si bellum, prouidum iudicatore. An ego non prouideam meis ciuibus? nō dies, noctesque de uestra libertate, de reipublica salute cogitem? Quid enim non de beo uobis, Quirites? quem uos a se ortum, hominibus nobilissimis omnibus honoribus praeuulsiis? an in gratum sum? quis minus? qui partis honoribus, eosdem gessi in foro labores, quos in petendis, rudis in reipublica? quis excitatior? qui uiginti iam annos bellum geram cum improbis ciuibus? Quamobrem, Quirites, consilio quantum

tum potero, labore plus pane, quam potero, excubabo, uigilaboque pro uobis. etenim quis est ciuis, praesertim hoc gradu, quo me uos esse uoluistis, tam oblitus beneficij uestri, tam immemor patriae, tam inimicus dignitatis suae, quem non excitet, non inflammet tantus uester iste consensus? multas, magnasque habui consul conciones, multis interfui: nullam umquam uidi tantam, quant a nunc uestra est. unum sentitis omnes, unum studetis, M. Antonij conatus auertere a republ. furorem extinguere, opprimere audaciam. idem uolunt omnes ordines: eodem incumbunt municipia, coloniae, cuncta Italia. Itaq; senatum bene sua sponte firmu, firmiore uestra auctoritate fecistis. Venit tempus, Quirites, serius omnino, qua dignu populo Ro. fuit: sed tamen ita maturum, ut differri iam hora non possit. fuit aliquis fatalis casus, ut ita dicam: quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. nunc, si quis erit, erit uoluntarius. populo Ro. seruire fas non est, quem dii immortales omnibus gentibus imperare uoluerunt. res in extremum est adducta discrimen: de libertate decernitur: aut uincatis oportet, Quirites, quod profecto & pietate uestra, & tanta concordia consequemini: aut quiduis potius, quam seruiatis. Aliae nationes seruitutem pati possunt, populi Ro. est propria libertas.